

Strzeszowski Laurentii: Quaestio de materia prima.

D. O. M. A.

QVÆSTIO
DE
MATERIA PRIMA:

In

Alma Academia Cracouiensi,

A

M. LAVRENTIO STRZEŻOWSKI in eadem Academ: Professore Publicè ad disputandum.

PROPOSITA.

IN LECTORIO DD. THEOLOGORVM.

Anno Dñi 1644. Die 11 Mensis Febr. Hora 15.

PERMISSV MAGNIFICI D. RECTORIS.

CRACOVIÆ.

In Officinâ Valeriani Piątkowski.

In Stemma Acad. Cracou.



Dic age? Cur ſceptris Academia clara duobus,
Inq; crucem poſitis Crux ſibi Vita, Salus.

IOANNES KRASINSKI CAST.
CIECH, STVD, RHET.



Magnifico & Admodum Reuerendo

DOMINO RECTORI

Patribus Amplißimis,

ADMODVM REVERENDIS ET DOCTISSIMIS COLLEGII MAIORIS PROFESSORIBVS,

Dominis & Patronis ſuis.



Onſtans nec illaudatus, apud Romanos gentium Dominos, ex bello redeuntes vſus inoleuerat; vt ſi quę ſpolia ex debellatis hoſtibus reportarent, ea Dijs offerrent, dedicarentq́;: ac eorum templis affigi curarent, quos ſibi prę cęteris, tum colendos, adorandosq́;, voto deſtinaſſent. Hac enim ratione ſe, et Deorum auxiliatrices manus redonare, et ſpolijs ad omnem poſteritatem fixis, virtutis ſuę nunquam intermoriturum monumentum, erigere opinati ſunt. Qua illorum tam laudabili conſuetudine excitatus, ſic in animo meo propoſui, vt quicquid labore, ſtudio, vigilijs, in certamine Philoſophico, his retroactis annis, aſſequi potuerim; hęc ad veſtrę dignitatis ac humanitatis ado-

adoratam mihi semper magnitudinem, veluti ad templum quoddam suspenderem, vt et preceptorum curam, laboremq; hac quantumuis leui opella remunerarer: quorum vel amplissimum premium est, si non sine fructu hec se impendisse intelligant: et filiali licentia apud Patres hec tanquam spolia studiorum meorum ostentarē. Quamuis autem conscius tenuitatis ingenij mei, trepidarem semper ad vestri nominis, et autoritatis splendorem, vicit tamen vel metum hunc, vel verecundiam meam, vestra insignis bonitas et humanitas, mihiq; animum fecit tentandi, quod ante me plurimi felici successu, vestro fauore ac patrocinio adiuti tentarunt. Vestro itaq; fauore, quem toties expertus sum erectus, Conclusiones has de more florentissime Vniuersitatis nostre ordinatas, filius Patribus, Discipulus Preceptoribus, Cliens Patronis, libens volensq; presento. Res fateor parua est: at res exiles et parue vestri patrocinij, et gratie luce splendidissima collustrate amplitudinem iustam, et pretium habiture sunt. Quo vestro patrocinio submissè inuocato, Deum Opt. Max. omnium conseruatorem humiliter precor, vt vos diu, felicissimè Ecclesie, Reipublice, literis, et Academie seruet incolumes.

Mag. et Adm R. D. VV.

Cliens deuotißimus

M. LAVRENTIVS STRZEZOWSKI.

QVA-

QVÆSTIO
DE
MATERIA PRIMA

V. Materia prima quæ eſt pura potentià, poſsit eſse principium Subiectiuum immediatum, tàm formarum Subſtantialium, quàm Accidentalium, ita vt ad rationem eſsentialem totius Phyſici, eiuſq; conſtitutionem indiuiduam pertineat, necne?

CONCLVSIO I.

Materia est pura potentia, & principium subiectiuum immediatum formarum, quæ quidem potentia est de genere Substantiæ.

COROLLARIA.

1. Materia prima instar optimæ matris, recipit formam tanquam prolem, illamq́, sinu suo fouet atq; conseruat, propter quam causam à Platone & alijs Philosophis nutrix, mater, & receptaculum formæ nuncupatur.

2. Materia prima nec potest cognosci secundum suam naturam & essentiam, nisi per habitudinem ad formam in communi, nec exsistere sine forma, à qua perficitur.

3. Materia nec actum Entitatiuum, quem astruit Schola Scotistica potest admittere.

4. Materia est essentialiter potentia. Siue potentia est de essentia Materiæ.

5. Materia prima etiam per virtutem supranaturalem, absq; forma non potest exsistere.

CONCLVSIO II.

Materia est omnium formarum Substantiali-

um

um Subiectum perſe primum, non medianțe aliqua quantitate, quæ vulgò Interminata dicitur.

COROLLARIA.

1. *Non ſolùm in his inferioribus & corruptibilibus, verum etiam in ſuperioribus & in corruptibilibus (intelligo Orbes cæleſtes) materia inuenitur.*

2. *Materia cæleſtium & ſuperiorum, eſt diuerſæ rationis à materia inferiorum & caducarum rerum.*

3. *Materia rerum inferiorum, eſt in potentia ad omnes formas naturales, ſiuè fuerint Subſtantiales, ſiue accidentariæ corporeæ.*

4. *Intelligentiæ ſiue Angeli carent omni materia, quia ſunt puri & ſimplices actus.*

5. *Materia prima nullo pacto poteſt eſſe, alicuius accidentis immediatum Subiectum.*

CONCLVSIO III.

Materia eſt pars quidditatiua rerum naturalium, & principium indiuiduationis.

COROLLARIA.

1. *Ad Philoſophum Naturalem non ſpectat agere*

agere de materia, vt est pars Entis: sed vt est subiectum transmutationum naturalium.

2. Materia spectata non vt prima, sed vt huius formæ, est pars quidditatis rei naturalis.

3. Materia est principium Indiuiduationis, non vt huius formæ simpliciter & absolutè, sed vt appropriatè, exsistentialiter huius formæ, mediantibus omnibus ad hoc requisitis.

4. Requisita ad Indiuiduationem sunt, quantitas fundamentalis, in materia respectus vnitiuus communis cum forma, vnio, agens, & alia eiusmodi.

5. Vbicunq; nec materia, nec requisita ad Indiuiduationem reperiuntur, illic etiam frustra natura requiritur apta indiuiduari, & numerica vnitas.

SVB FELICIBVS AVSPICIIS

Magnifici et Admodum Reuerendi Domini

D. IACOBI VITELLII S.

Theol. Professoris, ad S. Florian. Canonici, Almæ Vniuersitatis Studij Cracouiensis

RECTORIS

Vigilantiss.

